

tutum laus quum debeatur, sine vlla controuersia, Camerario; inciderat enim hic in eam, quam dixi, rerum omnium confusionem et perturbationem: maligni profecto possemus videri iniuriique in merita viri immortalis, nisi virtutes eius praedicaremus pa-
lam, aliisque magnitudinem earum, tanquam e spe-
cula lumen, proponeremus, quod sequi connite-
rentur nobiscum. Cuius quidem iucundi gratique officii partes puto praecipue ad me pertinere, po-
pularem Camerarii. Si enim Arpinates de rebus ge-
stis Marii et Ciceronis vtriusque, municipum suo-
rum, tanto opere gloriati sunt: intellegeatis facile,
Auditores, quid mihi videatur faciendum. Nam illorum quidem virtutes, quamuis magnae, tamen Romanae tantum ciuitati ad tempus perbreue pro-
fuerunt, quum Camerarii studia profuerint tamdiu omnibus vbiique litteris, sintque, dum homines erunt, profutura plurimum. Atque hic est ille fons, hoc est caput illud, Auditores, laetitiarum gaudiorumque, quibus ante commemoraui animum meum non tam perfundi, quam inundari, quoties memoria cum et imago Papebergae, patriae Camerarii, subiret. Dabitis igitur et Camerarii memoriae, et beniuolen-
tiae in me Vestræ, hoc, vt me de doctrina viri summi breuiter dicentem audiatis attente. Constitui autem docere primum, fuisse in Camerario omnes egregii Grammatici numeros et partes: deinde eun-
dem nec ab optimi Theologi laude afuisse exponam. Ita enim spero a me posse omnes viri magni virtutes attingi, hoc est, laudari, quae sint veluti regula et norma, ad quam dirigatur posthac omnium institu-
torum meorum studiorumque cursus et ratio.